



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

II. De Causis, excusantibus à Residentia, & illegitime absentium Pœnis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

- ratum, alterum simplex, vg. canonicatus etiam Cathedralis, residere debet in curato; quia hoc casu non tam dignitatis beneficii, quam necessitatis animarum ratio est habenda, ex *Constitut.* Pii V. quæ incipit *Cupientes*, edita idibus Jul. 1568. *cit.* Garcias p. 12. cap. 2. n. 40. Gonzalez gloss. 6. n. 70. & Barbosa de *Offic.*
14. *Parochi cap. 8. n. 12.* Secundò; si utrumque parochiale vel simplex sit; residere debet in digniore: aut, si dignitas sit aequalis, in frequentiore: & si utriusque frequentia par, sed unum in civitate, alterum extra eam sit situm, in civitate potius quam extra hanc residere debet, *cit.* Garcias p. 3. cap. 2. n. 179. Barbosa n. 8. & Palao *Tract.* 13. *disp.* 5. p. 2. n. 2. perhibentes id à S.
15. *Congreg. declaratum.* Tertiò, in dubio de frequentia & dignitate, tam beneficii quam loci, in quo hoc est situm, in arbitrio beneficiati erit, ubi velit residere: quod ab iisdem declaratum est, teste Garcia *cit.* n. 179. apud Palao *cit.* n. 2. & Barbosam de *Offic. Episc. alleg.* 53. n. 82.
20. *Qui tamen aliter puniuntur, quam amissione fructuum.*
21. *His tamen privantur Canonici ultra tres menses absentes:*
22. *Nisi speciali Ecclesia Jure defendantur.*
23. *Amisio fructuum sententiam declaratoriam non exigit.*
24. *Absentia etiam Jure permessa exigit causam,*
25. *Et in parochia licentiam superioris:*
26. *A quo longior absentia permitti potest ex justa causa:*
27. *Quales sunt I. Christiana Charitas.*
28. *II. Urgens Necessitas.*
29. *III. Debita Obedientia.*
30. *In obsequio Episcopi duo Canonici Cathedralium:*
31. *Non etiam Collegiarum Ecclesiarum abesse possunt.*
32. *IV. Evidens utilitas.*
33. *Studiorum causa quinquenniò curati olim:*
34. *Et verisimilius in Germania hodie quoque,*
35. *Sicut & simplices beneficiati abesse possunt.*
36. *Causa utilitatis publica Episcopi & alii prelati,*
37. *Non tamen, ut Principi in curia serviant,*
38. *Sive licentia Papa abesse possunt.*
39. *Alia pena Jure statuta in Episcopos,*
40. *Et curatos inferiores, in Ecclesiis suis non residentes,*

ARTICULUS II.

De Causis excusantibus à Residentia, & illegitimè absentium Pœnis.

SUMMARIUM.

16. *Residentia non obest brevii absentia ab Ecclesia:*
17. *A qua Episcopus ultra permittos tres,*
18. *Et parochus ultra duos menses absentes, amittunt fructus.*
19. *Ultra duos illicitè absunt Prepositi Regularium:*

16. Beneficia, etiam curata, obtinentibus Ecclesiasticò & Divinò Jure imposita obligatio residendi tam stricta non est; ut Episcopi alique curati, & multò magis beneficiati simplices, ab Ecclesiis ex rationabili causa ad breve saltem tempus abesse non possint: dum-

sint: dummodo ex absentia ipsis conceditæ oves & Ecclesiæ nullum patiantur detrimentum; cum, *Qui aliquantisper tantum absunt, ex VV. Canonum sententia abesse, quia statim reversuri sunt, non videantur ipsis PP. S. Synodi Trident. Sess. 23. cap. 1. V. Quoniam autem, de Reformat.* In particulari

17. Primò Archiepiscopi, Episcopi, & verisimilibus etiam alii Prælati, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, ex æqua causa ab Ecclesiis suis abesse quot annis possunt duobus, vel ad summum tribus mensibus: ultra quos si absint, præter reatum peccati mortalis, pro rata temporis fructus non faciunt suos, quos proinde fabricæ Ecclesiarum vel pauperibus loci applicari S. Synodus iubet, *cap. 1. cit. §. Si quis autem, ubi Lessius Lib. 2. de I. & I. cap. 34. n. 157. additum aliquid existimat decreto Sess. 6. cap. 1. cujus V. Si quis, Episcopi per sex menses absentes quartâ: & si per alios sex menses absissent, alterâ tantum quartâ parte fructuum privabantur: præterea Episcopi & ceteri Episcopalis Ordinis prælati Sess. 23. cap. 1. cit. V. Eisdem, monentur; ne Adventus, Nativitatis Domini, Quadragesimæ, Resurrectionis Domini, Pentecostes item & Corporis Christi diebus ab Ecclesiis suis absint: nisi eos Episcopalia munera in diocesi sua aliò vocent; quòd his maximè diebus refici & Pastoris sui præsentia in Domino gaudere oves debeant.*

18. Secundò, Parochi, alique curati inferiores ab Ecclesiis suis per unum alterumve mensem ex rationabili causa licite abesse possunt: dummodo (quod etiam Episcopis observandum) substitutò interea idoneò Vicario Ecclesiæ non patiantur detrimentum. Si verò tales non petita licentiâ & absque gravi causâ ultra duos menses absint, graviter pec-

carent, & pro rata temporis fructus non facerent suos, sicut Episcopi, ut *cap. 1. cit. V. Eadem omnino, habetur: qui proinde fructus Ecclesiæ propriæ parochiæ vel ejus loci pauperibus, si tales ibi sint, erunt applicandi, Navarrus Manual. cap. 21. n. 121. Garcias p. 3. de Benef. cap. 2. n. 31. & Barbosa in cap. 1. cit. n. 21.*

Eandem absentiam, bimestrem, seclusis specialibus cujusque Ordinis statutis, etiam Abbatibus, Prioribus & aliis Congregationum Regularium præpositis, in certum territorium & populum jurisdictionem quasi Episcopalem non exercentibus, ex rationabili causâ permissam, asserit Engel *ad hanc Rubr. §. 1. n. 5. & non obscurè Tamburin Tom. 1. de Jure Abbat. disp. 15. q. 5. quòd, duobus tantum mensibus ex justa causa absens quivis curatus aliquantisper tantum abesse; ac proinde ex VV. Canonum sententia non abesse, & propterea nec pœnæ obnoxius esse, visus sit Patribus Tridentinis cap. 1. pr. cit.* Rectè tamen

DD. *cit.* monent, dictos Abbates & Regularium præpositos in longioris absentia pœnam fructibus non privari; utique, quòd propter votum Paupertatis in Religione editum reditus propriè non habeant, & omnia monasteriis acquirant, *Auth. Ingressi C. de SS. Eccles. & ex præpositi sui delicto damnum sentire Ecclesia & monasterium non debeat, can. Si Episcopum 16. q. 6. & Reg. Delictum 76. in 6.* Quare, horum à monasteriis suis absentiam aliis modis & pœnis, propriâ cujusque Ordinis Regulæ vel usû receptis, plectendam, *cit.* DD. observant cum Lessio *Lib. 3. de I. & I. cap. 34. n. 161.* ubi dispositionem de curatorum ab Ecclesiis suis absentia, & in eos, qui ab iis longiori tempore absint, decretas pœnas in curatis tantum secularibus, non etiam in Regularibus secularium

Ecclesiarum curam non obtinentibus, locum habere docet: superiores autem Regulares in administratione monasteriorum & curâ subditorum sibi Religioforum Regulis ac statutis suorum Ordinum relinquere, ait: idque à S. Congreg. Cardd. Concilii Interpp. asserit declaratum.

21. Tertiò, canonicis aliisque obtinentibus præbendas vel portiones in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis à S. Synodo permiffa est absentia trium mensium, *Sess. 24. cap. 12. V. Præterea de Ref.* (nisi tamen longiorem residentiam exigant specialia statuta, quibus à Concilio non est derogatum) etiam non obtentâ licentiâ Ordinarii: qui tamen inhibere etiam per subtractionem fructuum potest; ne cum Divini cultûs detrimento canonici omnes simul absint, ut memorata S. Congreg. declaravit apud Garciam *cit. cap. 2. n. 315.* Si verò ultra tres menses absint, §. *Præterea cit.* statuitur; ut dimidiò annò dimidiâ parte fructuum: postea verò omnibus fructibus præventur: crescente verò contumaciâ contra eos, ab Ecclesiis suis absentiam protrahentes, juxta sacrorum canonum constitutiones procedatur. Quamvis autem §. *cit.* addatur, talibus nullius statuti vel Consuetudinis vigore ultra tres menses abesse licere, non censetur tamen S. Synodus derogasse fundationi, à laicis factæ, aut statuti à Sede Apostolica immediatè & ex certa scientia & cum cognitione causæ confirmatis, quibus absentia longior conceditur, *Garcias cit. cap. 2. n. 328.* partim; quòd Ecclesia non facillè derogat voluntati talium fundatorum; ne à fundationibus absterreantur: partim verò; quòd statuta ita confirmata propter duplex vinculum à Concilio sublata non fuisse, declaratum sit à S. Congreg. laudata, teste Fagnano *in c. Licet*

32. *de Præb. & dignit. n. 58.* Atque ex his fortassis capitibus provenit, quòd in quibusdam Germaniæ nostræ Ecclesiis canonici ad lucrandos fructus alicubi sex, alibi tribus duntaxat mensibus teneantur residere: imò alicubi illos percipiant, si unò die v. g. festò S. Michaëlis aut duobus diebus interfint, *Garcias cap. 2. cit. n. 330.* Unde

Dubium oritur primò, an ab Episcopis & cæteris curatis propter absentiam amiffi fructus dictis locis ante omnem sententiam sint applicandi. Ratio dubitandi est; quòd, exceptis censuris, irregularitatibus & amissione juris exigendi debitum conjugale in conjuges incestuosos latâ, vix ullam poenam ante sententiam, saltem criminis declarationem, deberi, *arg. c. Cùm secundum 19. de Hæretic. in 6. dictum sit Tit. 2. n. 10.* Sed, hoc non obstante, Episcopos cæterosque curatos & beneficiatos ad dictos fructus Ecclesiis vel pauperibus applicandos ante omnem sententiam in conscientia obligari, disertè statuit S. Synodus *cap. 1. cit.* ibi *Aliâ etiam declaratione non secutâ.* Ratio est; quia prædicti fructus nondum percepti, atque idcirco non plenè, imò nec absolutè debiti sunt, sed sub conditione residentia; quâ proinde deficiente ipsos restituendi ante omnem sententiam obligatio urget, *Covarruv. Lib. 3. Var. cap. 13. n. 9. Valquez Opusc. de Benef. cap. 4. §. 2. n. 153. Palao Tract. 13. disp. 5. p. 3. n. 5. & Laiman Lib. 4. tract. 2. cap. 6. n. 6. in fine,* ubi de *cit.* Concilii decreto notat, id quoad non requisitam declarationem in tanto rigore receptum non videri, saltem si constitutò idoneò Vicario non negligatur cura animarum & Ecclesia damnnum non patiat: quod etiam notat *Pirrhing ad hanc Rubric. n. 74. in fine.*

Dubium secundò est de causa absentia

24.

sentia per duos vel tres menses. Et quidem ex qua causa abesse valeant Episcopi, etsi istorum conscientia Concilio relinquatur *Seff. 23. cap. 1. cit.* solius tamen honeste recreationis aut visitationis sanguineorum gratia per dictos tres menses abesse ipsos posse, si notabile gregis detrimentum non timeatur, tradit Jordanus Lucubr. lib. 10. tit. 40. n. 25. in fine.

Ex simili causa etiam curatis inferioribus absentiam, licentia Episcopi non requisita, permissam, cum Navarro *Manual. cap. 25. n. 121.* censet Azor p. 2. *Instit. lib. 7. cap. 4. q. 10.* quod Jus antiquum, quod Episcopi licentia opus non fuisse, constat ex *can. Praesentium 7. q. 1.* expressè correctum non sit à Tridentino, bimestre parochis permittente, sicut trimestre Episcopi: quorum conscientia causa absentiae relinquatur, licet ad residendum magis quam parochi obligentur.

25. Sed, parochis ad bimestrem quoque absentiam Episcopi licentia opus esse, clarè satis desumitur ex *cap. 1. V. Eadem omnino cit.* ubi, cum statuitur, à curatis inferioribus, quandocumque eos, causa per Episcopum cognita & probata, abesse contigerit, idoneum Vicarium ab Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquendum: cum, inquam, hoc statuitur, sermo esse videtur de absentia bimestri curatorum; quia postea ad discedendum tempore longiori Episcopi licentiam non qualemcunque, sed in scriptis & causam gravem, puta majorem, quam ad absentiam bimestrem esset sufficiens, requirit *cap. 1. & V. Eadem cit.* Atque ita tenet Ugolinus *de Offic. Episc. cap. 15. §. 5. n. 2. cit.* Vasquez §. 2. n. 149. Garcias *cap. 2. n. 22.* Barbosa *de Offic. Parochi cap. 8. n. 55.* Quod, licet de Jure verum, in praxi tamen usu receptum, non credit Lessius *cit. cap. 34. n. 159.* & de Episcopi licentia, an ad bime-

strem absentiam necessaria, an continua exigatur, vel interpolata sufficiat, diocesum statuta & consuetudines particulares spectandas & observandas, monet Laiman *cit. cap. 6. n. 7.*

Dubium tertium est de causis absentiae longioris: cujusmodi *cit. Seff. 22. cap. 1. V. Nam cum* quatuor referuntur. Ex quarum tamen aliqua abesse ut liceat Episcopis, illa tanquam legitima à Papa vel Metropolitano, aut isto absente ab antiquiore suffraganeo approbari in scriptis debet: nisi propter munus seu officium Reipublicae Episcopatus adjunctum sint abfuturi; isto enim poscente, cum causa notoria & saepe repentina sit, opus non est, eas ad sedem Apostolicam, Metropolitanum, aliumve referri, *V. Nam cum cit.* Curatis inferioribus ad absentiam ultra duos menses protrahendam opus est, ut causa in scriptis approbetur ab Ordinario, si non ultra annum: si vero ultra eum abfuturi sint, à Papa, qui pro longiori tempore in residentia dispensandi, aut ejus obligationem interpretandi facultatem, extra *c. Cum ex eo 34. de Elect. in 6.* & urgentis necessitatis casus, inferiorum nulli concessisse asseritur à Laiman *in c. Licet 14. de Elect. in 6. n. 2.* & supponitur à Fagnano *in c. fin. de Magistr. n. 17. §. Partem.*

Prima absentiae longioris causa est Christiana Charitas, v.g. si Episcopus aliisve curatus ad provinciam aliquam vel diocesim à periculo Hæreseos liberandam, ad pacem inter Principes & Magnates componendam, vel ad tollendas graves inimicitias à dioecesi vel parochia sua discedat: dummodo tamen ex absentia notabile damnum non patiantur Ecclesia & oves propriae; cum his succurrere ex duplici Charitatis & Justitiae obligatione curatus teneatur, Barbosa *cit. alleg. 53. n. 6.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 12.*

28. Secunda, urgens Necessitas, vg. hostilis incursionis, *arg. can. Pastoralis 7. q. 1. infirmitatis corporalis, can. Præsentium 9. cit. & c. Ad audientiam 15. hie,* capitalis inimicitia cum domino loci, aut insidiarum ab eo vel infesta plebe structarum, *Glossa fin. in c. fin. cit. Barbofa n. 7. & Pirrhing n. 23.* Epidemica tamen luis grassantis tempore &, quodcumque ovium sibi creditarum salus periculo exponitur, ab iis, periculo vitæ non obstant, recedere curatis quibuscumque non licet; cum munus Pastorale adeo strictè obliget; ut minus æstimare bonus pastor debeat iacturam vitæ suæ corporalis, quàm creditarum sibi ovium spirituale detrimentum, ex doctrina Servatoris, *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis, Joan. cap. 10. v. 11.* & tempore pestis ab his recedere non possit, licet Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta ministrare per alios possit. Quod ad instantiam S. Caroli Borromæi decisum, Barbofa *ad cit. Sess. 23. cap. 1. n. 60.* ex Selva refert. Alii tamen eum excusant, si tali tempore, dum corpore abest, animò tamen sive providentiâ præfens, ovium necessitati prospiciat per idoneos vicarios aut viros Religiosos substitutos, Laiman *Lib. 2. tract. 3. cap. & n. 3.* & Pirrhing *cit. n. 23.*
29. Tertia est debita Obedientia, vg. si absit mandatò Papæ & sedis Apostolicæ servitiò occupatus, *c. Cum dilectus 14. & c. Ad audientiam 15.* tales enim, quòd Ecclesiæ Universali serviant, pro præsentibus & in Ecclesia sua residentibus habentur, Panormit. & Barbofa *in c. Cum dilectus cit. n. 2.* Verùm, quia *cc. cit.* de Canoniciis duntaxat sermo est, id nequam esse perpetuum: & Episcopos aliosque curatos solius servitiò Papæ exhibendi causâ ab Ecclesiis suis abesse non posse, volunt Azor *p. 2. Institut. lib. 7. cap. 4. q. 1. §. Quinta & Barbofa l. cit. n. 3.* nisi id exigat necessitas aut major utilitas publica. Quin ipsos etiam S. R. E. Cardinales ex causâ officii sui in Curia præstandi ab obligatione residentis in suis diocesis non excusari, censent *cit. Azor q. 7. Flaminius de Resignat. lib. 1. q. 10. n. 8. Vasquez cit. cap. 4. §. 2. n. 141.* & alii permoti Trident. *cap. 1. cit. v. Ne verò ea,* sicut alios pastores, sic etiam Cardinales Episcopos ad residentiam in suis Ecclesiis obligante: & eò etiam; quòd ante hoc Concilium Cardinalatus & Episcopatus fuerint beneficia incompatibilia, ut iidem & *in c. Bone 3. de Postul. Pral.* notant Panormit. *n. 6.* & Fagnanus *n. 23.* Vide dicta *Lib. 1. tit. 31. n. 28.* Exciipiendi tamen sunt sex Episcopatus Romæ vicini, qui à Cardinalibus in Urbe residentibus administrari facillè possunt, & ferè solent, Azor *l. cit.*
- Dubium hic est de Canoniciis, an præbendarum suarum fructus percipiant, si ab Ecclesiis suis absint causâ servitiò Episcopo suo exhibendi. Et ex Cathedralibus quidem Canoniciis duos ex tali causa absentes illos integrè percipere, patet ex *c. Ad audientiam 15.* eique consono decreto Tridentini *Sess. 24. cap. 12. in fine de Reformat.* quò
- An etiam Ecclesiarum Collegiatarum Canonici comprehendantur, non satis convenit inter DD. Barbofa enim *in c. De cetero 7. n. 4.* cum Moneta de *Distribut. p. 2. q. 8. n. 6.* decretum illud de his etiam intelligi, vult; quòd inter canonicos non distinguat: & ejus ad Cathedralibus restrictionem non persuadeat ulla ratio præfertim; cum canonicorum copia & præsentia propter suam dignitatem magis necessaria sit Ecclesiis Cathedralibus, quàm Collegiatis. Alii tamen decretum illud ad Cathedralibus canonicos restringunt; quòd, ne juris sit correctorium, referendum

referendum sit ad c. De catero & c. Ad audientiam cit. quorum antiqui Juris textuum utroque agitur de Cathedralium Ecclesiarum canonicis: quibus indultum privilegium, ut quoad fructuum perceptionem pro præsentibus habeantur, cum per fictionem inductum, & à communis Juris Regula exorbitans sit, non est extendendum. Accedit; quòd specialis ratio suaserit, id concedi Cathedralibus canonicis; quia isti tanquam membra cum Episcopo tanquam capite suo immediatè constituunt unum corpus, c. Novit. 4. De iis, qua à prelat. & huic archiùs, quàm Ecclesiarum Collegiatarum canonici uniantur: eique in negotiis diocæsin spectantibus adesse præ illis tenentur. Ita cum Panormit. in c. Ad audientiam cit. n. 8. Laiman Lib. 4. tract. 2. cap. 5. n. 6. Gonzalez in c. De catero cit. n. 6. quorum Opinio præ opposita consona est rationi & Juri: cui contraria consuetudo, si alicubi idem Collegiatarum canonicis permittitur, extendenda non est ad casum, quò eorum absentia minueret cultum Divinum & necessaria Ecclesiæ ministria impediret; cum tali casu etiam Cathedralis canonici nequeant abesse, ut ex Rebuffo advertit Pirrhing ad hanc Rubr. num. 29. not. 2.

32. Quarta demum est evidens Utilitas, imprimis Ecclesiæ, v.g. si Episcopus vel alius curatus ad defendenda Ecclesiæ suæ jura, ad litem super iis prosequendam, c. Ex parte 13. vel ad Synodum Ecclesiasticam vocatus, quamdiu hæc durat, absit, Azor cit. c. 4. q. 4. in fine.

33. Ad Ecclesiæ utilitatem revocatur causa Studiorum: quorum favore imprimis c. fin. de Magistr. clericis permittitur, ut in Theologia (vel Jure Canonico Fagnan. in cit. c. n. 13. & Palao Tract. 7. disp. 3. p. 9. n. 9.) si docibiles, hoc est, ad docendum discendumve habiles sint,

Glossa in c. cit. V. Per annos, studere quinquenniò: docere autem, quamdiu volunt, & interea beneficiorum suorum fructus percipere possint. Deinde, à Bonifacio VIII. Episcopis conceditur facultas cum promotis ad Ecclesias parochiales dispensandi; ut in studiis, si idonei sint, usque ad septennium morari valeant: dummodo provideant, ut interea cura animarum per idoneos vicarios administraretur, c. Cum ex eo 34. de Elect. in 6. cujus dispositioni, an derogatum sit à Tridentino, non convenit inter DD. & verisimilius, ei non derogatum, cum Navarro Manual. cap. 35. n. 121. Selva de Benef. p. 4. q. 6. Lessio cit. cap. 34. n. 163. & alii censent Palao cit. n. 9. & Fagnanus in c. fin. de Magistr. n. 111. quòd beneficiatis docentibus & studentibus antiquò Jure cc. cit. indulta privilegia à S. Synodo firmata potius, quàm revocata videantur Sess. 5. cap. 1. de Ref. verbis Docentes verò sacrâ scripturam (aut Jus Canonicum, juxta dicta) dum publicè in scholis docuerint: & scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus, de perceptione fructuum, præbendarum & beneficiorum suorum in absentia à Jure communi concessis, plenè gaudeant & fruantur: Sicut & Sess. 6. de Ref. cujus cap. 2. cum parochos, non obstante quòvis privilegio vel indultò ad residentiam cogi jussisset, subdit, Indulgentiis verò & dispensationibus temporaliibus, ex veris & rationabilibus causis (sicut esse causam studiorum, ex c. Cum ex eo cit. in margine notatis liquet) tantum concessis, & coram Ordinario legitimè probandis, in suo robore permansuris.

In contrarium quidem allegantur & à Garcia cit. cap. 2. n. 81. referuntur geminæ declarationes, de adempta Episcopi potestate parochis dandi licentiam, ut quinquenniò studiorum causâ absint, & interea fructus percipiant; eamque me-

- que meritò ademptam, suadet ratio; quòd secundùm Tridentinum *Sess. 24. cap. 18. de Ref.* Ecclesiis parochialibus provideatur per Concursum, per quem eas affecti idonei sunt de præfenti, ut eos studiorum causâ ab Ecclesiis suis abesse non expediat, ut observant Gonzalez in *Reg. 8. gloss. 6. n. 51.* & Fagnanus *l. cit. n. 17. in fine* ubi ait, à Papa Episcopum ab ejus licentiæ concessione jussum abstinere. Sed, licet de hoc & declarationibus illis authenticè constaret, quòd *cit. Palao n. 10.* negat, Germaniæ tamen nostræ Ordinariis ple-risque non obstant; quia fundantur in Concurfu, in plerisque istius Episcopatus usu nunquam receptò, ut à colendis-simo Præceptore meo & in Cathedra antecessore P. Weifs *Different. jur. Antiq. & Trident. assert. 32.* est observatum.
34. Sed, utcumque res se habeat cum parochis & aliis curatis, canonicis & aliis beneficia non curata obtinentibus studendi licentia concedi ob Ordinariis potest ac debet: dummodo id patiatur status Ecclesiæ, & Theologiæ vel Juri Canonico operam dent in celebri Gymnasio, atque insuper triginta annis sint minores, prout ab iisdem declaratum, refert *cit. Garcias n. 86.* & Barbofa *in c. Relatum 4. n. 7.*
35. Deinde, ab Ecclesiis suis, abesse clerici beneficiati possunt causâ utilitatis Reipublicæ, cujus sunt membra; ut, si v.g. Episcopi aliive prælati, Seculares aut Regulares, tanquam Electores aut Status Romani Imperii vel Provinciæ comitiis & conventibus Provincialibus Reipublicæ causâ interfint, Engel *ad hanc Rubr. §. 1. n. 2. & 6.* vel exigente istius evidenti utilitate obeant munus Oratoris aut Legati, *c. Cùm parati 19. junctâ Glossâ V. In legatione de Appellat. & can. Si Episcopus 11. dist. 18.* Barbofa *cit. alleg. 53. n. 15.*
36. Ad officium etiam Præsidis, Confessarii, Confessarii &c. in Regis aut Principis Secularis curia obeundum, Episcopis aliisque curatis ab Ecclesiis suis abesse licere, aliqui desumunt ex *Novell. 9. cap. 2. & Novell. 123. cap. 9.* ubi Episcopi ad annum, & cum facultate Cæsaris diutius in Curia morari permittuntur. Verum, quia Episcopalis residentia causa spiritalis est, an, quando, quamdiu absentia iis licita sit, petendum non ex Imperialibus, sed ex Ecclesiasticis constitutionibus: quæ ad ejusmodi munia obeunda absentiam ab Ecclesiis suis Episcopis aliisque curatis permittunt causâ evidentis utilitatis Reipublicæ, eorum operam eò solum casu exposcentis, quò ad illa obeunda alii satis idonei non reperiuntur. Quò etiam casu, ut ejusmodi servitii Regibus aut Principibus exhibendi causâ ab illis absint, non tam istorum, quam Romani Pontificis licentiam requirit, Azor *cit. cap. 4. q. 6. Diana p. 2. tract. 1. resol. 5. in fine* & Barbofa *cit. alleg. 53. n. 17.*
37. Dubium quartò est de aliis pœnis curatorum, ab Ecclesiis suis illicitè absentium: circa quod imprimis ex *Sess. 23. cap. 1. cit.* certum est, ab omnibus contrahi reatum culpæ lethalis: deinde Episcopi, spectatò Jure antiquò, si moniti non resipuerint, depositione & destructione in monasterium puniri poterunt, *can. Pervenit 7. q. 1.* Novissimò autem Jure Tridentini, si amissione fructuum non moveantur, à Metropolitano deferendi sunt ad Romanum Pontificem; ut in eos pro gravitate contumaciæ animadvertere & Ecclesiis de utilioribus pastoribus providere possit, *cit. Sess. 6. cap. 1.* cujus dispositio *Sess. 3. cap. 1. V. Si quis autem est confirmata.* Præterea Episcoporum, extra suas dioceses illegitimæ absentia tempore mortuorum, bona, cujuscumque quantitatis sint, tanquam spolia ad Cameram Apostolicam pertinent, vi

40. *Constitut. Pii IV. quæ incipit, Suprema, edita 7. Calend. Decemb. 1564.*

Demum Parochos, ab Ecclesiis & ovibus suis absentes, Jure antiquo beneficiis fuisse privatos, aut saltem privari potuisse, exploratum est ex c. *Quia in tantum 5. c. Majoribus 8. c. Relatum 11. c. de Præb. & dignit.* A Tridentino autem (seclusis diœcesium statutis & consuetudinibus particularibus, hodie observandis) arbitrio Episcoporum relinquitur, an contra eos absentes, si per Edictum (etiam unicum, sed peremptorium) etiam non personaliter & extrajudicialiter citati, contumaces fuerint, per censuras Ecclesiasticas, fructuum, quos suos jam fecerunt, subtractionem, sequestrationem, vel privationem beneficii procedere velint, *V. Si quis autem cit.* Unde manifestè colligitur, curatum ob absentiam post monitionem beneficii non privari ipsò Jure; cum, si istò sic privatus esset, in arbitrio Episcopi non foret, quò ex relatis remedijs uti velit, *Flamin. de Resignat. lib. 1. q. 10. n. 61. & Barbosa de Offic. Parochi cap. 8. n. 72. id declaratum, asserentes.*

ARTICULUS III.

De Distributionibus quotidianis.

SUMMARIUM.

41. *Distributiones alie propriè, alie impropriè dista sunt.*
42. *Quarum ista funguntur vice præbendarum.*
43. *Illa ab his distincta.*
44. *Et introductæ sunt ad augendum in Ecclesijs cultum Divinum.*

45. *Eique assentibus canonicis & aliis clericis debentur.*
46. *Non etiam absentibus: nisi absint ob infirmitatem.*
47. *Iustam & rationabilem necessitatem corporalem.*
48. *Injustam carcerationem, excommunicationem &c.*
49. *Vel evidentem utilitatem Ecclesie.*
50. *Cujus negotia gerentes & Episcopo servientes canonici de Jure solos fructus beneficiales.*
51. *Vi consuetudinis etiam distributiones percipere possunt.*
52. *Ecclesia Præposito simul & Canonico presenti debentur dua.*
53. *Absentium distributiones aliquando accrescunt presentibus.*
54. *Aliquando cedunt fabricæ, vel penes massam remanent.*
55. *Præsentes perceptas absentibus donare.*
56. *Non etiam remittere possunt.*
57. *Absentium distributiones percipiunt alii verò.*
58. *Non sicut tantum, præsentibus.*

Distributiones sic dicuntur; quod clericis juxta cujusque merita laborem & qualitatem tribuantur; distribuere enim suum cuique tribuere est, *arg. l. 1. ff. Famil. hercis. Moneta de Distrib. p. & q. 1. n. 9.* Sunt autem Distributiones duplicis generis; quædam enim funguntur vice præbendarum; sicut fit in Ecclesijs, quæ non habent præbendas distinctas, sed proventus sive redditus communes, ex quibus singulis canonicis aliisque clericis residentibus, uti & iis, qui Jure vel consuetudine pro præsentibus habentur, ut sunt v.g. absentes causâ studiorum aut negotiorum, datur aliqua portio, v.g. certam mensuram panis aut vini, vel pecuniæ quantitas ad